



# Disputatio juridica inauguralis ad senatus consultum Vellejanum

<https://hdl.handle.net/1874/347218>

5.

DISPUTATIO JURIDICA  
IN AVGURALIS,  
AD  
SENATUS CONSULTUM  
VELLEJANUM,  
FAVENTE <sup>QVAM</sup> DEO TER. OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*  
D. HERMANNI van HALEN,  
S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Præconis,  
UT ET  
*Amplissimi Senatus Academicci consensu, Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*  
PROGRADU DOCTORATUS  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè solenniter & More MAJORUM, consequendis.  
publica Censure & disquisitioni subjicit,  
LUCAS WALCKIER, LUGD. BATAVUS.  
A. D. 30. Aprilis, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ioc LXXXIX.

*Doctissimo, Præstantissimoque*

**D. GERARDO KICK,**

Jur. Utr. Doctori , vitrico , parentis  
loco venerando , colendo , ob multa  
ac magna in me collata merita , qui-  
bus omnibus , nisi aliquod mei erga te  
animi saltem grati argumentum ex-  
taret publicum , indigus nec non in-  
gratus videri poteram : accipe ergo  
non donum ; sed syngraphum , non  
liberatoriam sed confessoriam tabellam ,  
quam tibi

*Devotissimo pectore , animoque humillimo*

Offero & inscribo

**LUCAS WALCKIER , Auctor.**

Ex Officis Franciscoi HAIMA , Accedimus  
Typographi , et hoc lxxxiiij



## PROOE M I U M.

**N**on sum nescia muliebrem naturam pro imbecilla haberi, *ipsa inquit sequoris Sexus Portia, in Plutarcho.* Neque tantum in rebus gerendis tribuendum mulieri, quam viro. *Virilibus eas occupari negotiis indecorum esse, haud immerito censuere Romani.* Præstantioribus enim animi & ingenii dotibus ornantur passim mares; unde in multis fæminarum deteriorem esse conditionem non dubitavit noster tradere Papinianus. Hasque ab omnibus officiis civilibus removentem videmus in regulis Juris Ulpianum. Et quis illarum non misereatur? quarum est non tantum præstare obsequia maritis, non tantum partus sustinere periculum, non tantum primæ satis molestæ impli- cari liberorum nutricationi, sed & quæ adversus propria perhibentur laborare commoda, adeoque & olim sub perpetuâ fuere cognatorum tutelâ. Quasque sua fragilitas in repentinam saepe deduxit propriæ substancialiæ perniciem, carent illæ intus domum, tractent illic lanifictum: unde lana præferri olim novæ nuptiæ solebat; hæc maxima esto mulierum virtus, si ne vel minima de iis sit foris fabula. Arcebatur stola quoque

A 2

ma-

matronalis a testimonii in testamentis dictione , arcebatur a publico judicandi officio , prohibetur ab obeyendo magistratu , ab Advocatorum Procuratorumque muneribus ; ita eas loquentes , in Juvenalis Satyra audias ;

Nunquid nos agimus causas , civilia jura  
Novimus , aut ullo strepitu fora vestra movemus ?

Excedunt munera civilia domesticæ curæ modum , exercenda in civitatis vel judiciorum conspectu : requirit virile officium virilis animi constantiam , quam ipsam exigit fidei iussionis etiam negocium . Alio insuper sensu virile est officium se virorum immiscere cætibus , atque adeo in sexus fæminini tendit pudorem , ea agere quæ agenda viris , Theodoræ instar Justinianæ , ab ipso imperatore ( viro uxorio ) adhibitæ in consilium , præsidibus jurare in nomen muliebre jussis : Nov. 8. tit. 3. cap. un. ut jam non unius sed duorum foret imperium , nimis nempe facilis mariti , uxorisque sat ambitiosæ . Sed hæc explodimus , ut ♂ imperatorio superbientis in solio , atque Alexio assidentis marito , mulieris ( de qua Nicetas ) arrogantiam : nostri enim instituti jam est de prohibita Senatusconsulto antiquissimo fæminarum intercessione quæ sequuntur ventilanda proponere : faxit Deus ut bene .

DIS-



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

A D

SENATUS CONSULTUM  
VELLEJANUM.

POSITIO I.



Ræclarè sanè ac perquam egregiè ait  
M. T. Cicero in orat. pro Cluentio.  
*Unaqueque res sub cognitionem cadens  
ex vero suo principio optimè & rectissi-  
mè cognoscitur, ut eo bene intellecto,  
extrema multò facilius intelligi possint.*  
Nec etiam Sulmonensis vates hæc igno-  
ravit, qui hunc in modum cecinit.

*Dimidium facti qui bene cœpit habet.*

Ne ergo virorum tam illustrium monita rejiciamus, & hanc  
fatis nobilem materiam, omissis initiis, atque origine non re-  
petita, seu illotis (uti ajunt) manibus aggrediamur; & nos,  
in hoc nostro proposito, principium ab origine, quæ in  
quacunque materia potissimum spectacula venit *l. i. ff. de O. f.*  
deducemus.

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

## I I.

Primò quidem temporibus DIVI AUGUSTI, mox deinde CLAUDII, edictis eorum erat interdictum, ne fœmine pro viris suis intercederent l. 2. ff. b. t. quia ab eis facilius amore decipiabantur l. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor. sed postea plenius iisdem subventum & improbata omnis omnino mulierum intercessio, nempe illo senatus consulto, quod juxta Ang. Politian. l. 5. epist. 11. Bellejanum vocatur. Item SCtum de intercessionibus l. 40. D. de cond. indeb. sive quod de intercessionibus fœminarum factum est l. 15. l. 29. §. 1. ff. & l. 2. C. b. t. Beneficium amplissimi ordinis, ut & decretum patrum, quod de intercessionibus factum est, dici solet l. 10. 13. ut & l. 19. C. eod. sed vulgo Vellejanum vocatur, quod M. SYLLANO, & L. VELLEJO TUTORE Coss. factum est. l. 2. §. 1. ff. b. t. Reperitur autem tantum semel M. SYLLANI consulatus in fastis sub Tiberio A°. ab V. C. 771. a Christo nato 20. quamvis non simul cum Vellejo conjunctus; ergo saltem ex ff. apparet Tiberio Imp. conditum fuisse hoc SCtum, & verbum Ulpiani postea in l. 2. §. 1. ff. b. tit. intelligendum esse de tempore posteriore sub eodem Tiberio, qui ibi Claudius dici videtur: nam Tiberio etiam inditum fuit nomen Claudi: & constat ex l. 16. §. 1. ff. b. tit. respondisse ad hoc SCtum Gajum Cassium Longinum, qui consulatum gessit Imp. Tiberio A°. Salvatoris 31. Sed & aliud in jure nostro occurrit SCtum Vellejanum quod VELLEJO RUFO, & OSTERIO SCAPULA Coss. de assignatione libertorum, Claudianis temporibus originem debet l. 1. ff. de assign. libert. Nomen accepit non ab improbo aliquo homine, qui malis moribus optimæ legi occasionem dedit, ut in SCto Macedoniano; sed a Consule Vellejo Tutore, qui cum collega suo M. Syllano hac de re ad Senatum verba fecit (hoc est retulit) ut apud Frontin. 2. de aqueduct. Cic. 8. epist. fam. & philip. 8. sive mentionem fecit ut apud Cic. 1. epist. ad Attic 14. Liv. lib. 30. Ut pleraque Senatus consulta a Consulibus nomen accepere, quamquam & non-

I N A U G U R A L I S. 7

nonnunquam ab alio ut d. SCtum Macedonianum vel ab ipsa re de qua caverent *SCtum tacitum*, de quo egregie Capitolinus in Gordiano. Ut etiam nobile illud *Senatus-Consulatum praetextatum*, in Papirii prætextati honorem factum, quâ de re vid. *Macrob. lib. 1. Sat. c. 6.* & *Gell. noct. att. lib. 1. cap. 23.* Fuere etiam SCta anonyma, quibus proprium non fuit nomen, veluti SCtum quod in Pecuniam ludere vetus *l. 2. ff. de aleat.* & plura ad huc alia quæ ad populum lata vim legis habuere Bodin. *1. de rep. 12.* & *3. c. 1. in fin. Bachov. ad princ. ff. b. tit.* verba hujus SCti referuntur, in *l. 2. §. 1. ff. b. t.* & sic se habent.

*Quod Marcus Syllanus, & Vellejus Tutor Consules, verba fecerunt de obligationibus feminarum, que pro aliis rea fuerent, Q.D. E. R. F. O. D. E. R. U. I. C. hoc est: quid de ea re fieri oporteret, de ea re (universi) ita censuerunt vel consuluerunt ut alii: Anton. Augustinus in tractatu de SCtis, pro O. substituit P. id est placaret, & omittit V, sed I. C. sumit etiam pro ita censuerunt, vel cum aliis, ita consuluerent: & refert hæc verba ad universos senatores, qui cum Consules verba fecissent, ita statuerunt. Ad fidejussiones & mutui dationes pro aliis, quibus intercesserint famine pertinet SCtum, tametsi antea vietetur ira jus dictum esse, ne eo nomine ab his petitio neve in eas actio detur, cum eas virilibus officiis fungi, & ejus generis obligationis obstringi non sit equum, arbitrari senatum, recte atque ordine facturos ad quos de ea re in jure aditum erit, si dederint operam, ut in ea re Senatus voluntas servetur.*

Ex quibus apparet, SCti suminam breviter in eo consisteret, ne scil. ex intercessionibus mulierum adversus illas ullioriatur efficax obligatio & actio; quod si autem conveniantur, eis competit exceptio adversus agentes. Ratio autem hujus SCti est; quia cum sint incautiores nec videant periculum præsens, immemores veteris dicti *revera mōxē d' ārn*, SPONDE NOXA PRÆSTO EST, hac viâ crearetur mulieribus periculum rei familiaris per earum naturalem infirmitatem, & imbecillitatem *l. 1. & l. 2. §. 1. b. t.* & etiam quia sæpiissime contra propria commoda laborare inveniuntur, ut dicunt Impp. Honorius & Theo-

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

& Theodosius in l. 4. C. de sponsalibus adeoque recte Quintil. declamat. 338. ait, per se imbecilla res est femina, nec male etiam mulierum consilium vanum & mutabile pronuntiat Isidor. in cap. for. x. de V.S. Quæ porrò vitia cum adhuc validis ipsis in hærent radicibus, merito etiam moribus nostris intercessiones mulierum sunt prohibitæ. Groenew. ad rubric. C. b. t. Verum in Gallia hoc SCtum prorsus exolevisse sunt qui testantur: interquos est Mornac. & etiam Autun. ad rubric. D. & C. b. t. qui, hoc SCtum edito HENRICI IV. Parisiensi, mense Aug. Anno 1606. abrogatum esse, referunt. Quin etiam Petrus Stockmans decis. 142. author est hoc SCtum cessare moribus quoque Antverpianis.

## III.

Describi potest nostrum SCtum; quod sit Privilegium mulieribus concessum competens ad hoc, ne ex intercessionibus suis efficaciter conveniri possint. Dico autem esse privilegium & quidem quod non huic aut illi mulieri tantum competit; sed omnibus l. 1. & 2. §. 1. D. b. t. cum datum sit fæminis intuitu recti familiaris l. 1. §. 1. ff. b. t. hinc etiam hæredibus conceditur. l. 20. C. b. t.

## IV.

Occurrit hic nobis verbum *intercedere*; quam autem significationem in hac materia sibi vindicet, videamus: accipitur variis modis; Aliquando sumitur pro *intervenire* veluti, *intercedit divorrium*, in l. fructus 7. §. Papinianus 1. ff. soluto Matrim. non raro etiam usurpatur pro *esse*: uti; *intercedit mihi cum illo amicitia*, *familiaritas*. Sæpe etiam pro *impedire*, ut in l. arbitro 57. ff. famil. ercisc. Si non *intercedat* atatis auxilium, id est *impedit*. Sic etiam Tribuni plebis, (quibus jus intercedendi concessum erat (teste Gell. l. 13. c. 12.) dicuntur *intercedere* cum sese opponunt injuriis & violentiis: idem etiam apud Suetonium, Livium, nec non Cæsarem, denotat. Non nun-

I N A U G U R A L I S . 9

nunquam etiam intercedere pro alio , est pro alio deprecari: & à contrariò intercedere contra aliquem est alicui obstatre vel obesse. Plin. l. 32. c. 1. Sed omissis aliis , quas apud lexicographos , præcipue Calvin. Spieg. Brifson. videre est , significacionibus , mihi non abs re esse judicatur , quod hic intercedere sit idem quod spondere , se interponere , seu fidejubere Cic. ad Attic. lib. 1. Accersivit ad se , promisit , intercessit , dedit : quam igitur significationem merito & nos amplectimur.

V.

Intercedere itaque est in se recipere alienam obligationem sive veterem sive novam l. 2. §. pen. & ult. l. 8. §. 1. ff. b. t. l. 18. C. b. t. nulla habita differentia qualis vel cuius sit obligatio. Alienam dico , nam quæ suum negotium gerit , illa obligationem non recipit sed facit l. 8. §. 1. ff. b. t. At sub hoc SCto omnes omnino obligationes comprehenduntur , sive re , sive verbis , sive quocunque alio contractu intercesserint l. 2. §. 4. ff. b. t. Cuius , nihil interest , sive patris seu filii , sive extranei l. 2. §. ult. ff. b. t. l. 3. nec non l. 8. C. eod. Sive maris sive fæminæ l. 1. & 2. ff. b. t. juncta l. 195. princ. ff. de V. S. sed ex auth. si qua mulier C. b. t. in obligatione pro marito mulierem non posse intercedere , constat: id tamen non impedit , quo minus dos uxorius ab ipsa lege obligata fuerit in favorem cause primipilaris ; si maritus ex eâ teneretur fisco l. 3. C. de primip. uti & vir tene- tur vicissim pro tutelâ uxorius quo ad liberos prioris matrimo- nii , contractis nuptiis ante redditas ab ea rationes. l. 6. C. in quibus causis pign. tac.

V I.

Primo quidem ut huic SCto locus sit , requiritur: ut intercedant pro alio , quod patet ex his verbis SCti : pro quibus intercesserint. Intercedunt autem pro alio quando vel veterem vel novam obligationem in se suscipiunt : veterem suscipiunt vel per participationem seu cumulative vel per translationem

B

seu

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

seu privative : rursus per participationem , quando prior obligatio in principalis debitoris personâ salva manet , & mulieres accessoriè obligantur : quod fit cum vel fidejubent pro alio l. 1. §. 1. ff. h. t. vel alium fidejubere aut pecuniam dare mandant l. 6. & 7. ff. h. t. vel cum quod alias debet se soluturas constituant l. 1. §. 1. ff. de constituta pecunia vel cum alieno nomine compromittunt l. 32. §. 2. ff. de recept. arbitr. vel cum res suas l. 8. pr. ff. h. t. l. 12. C. eod. vel sibi obligatas l. 17. §. 1. pro alio obligant l. ult. §. 2. ff. h. t. vel cum intercedendi animo in jure respondent l. 26. ff. b. t. Per translationem seu privative prior obligatio recipitur , quando in persona principali tollitur , eaque in mulierem transfertur : quod fit expromittendo , vel novando l. quamvis 8. §. si convenerit 8. ff. h. t. nec non alieni debitoris defensionem in judicio suscipiendo , seque condemnationis periculo exponendo l. & primò 2. §. sed et si 5. ff. b. t. nam & hoc casu quasi novatio fit l. 10. §. 1. ff. de in rem vers. l. 23. ff. de solut. Novam autem obligationem ( quæ in alio non constituit ) recipit mulier , cum se ab initio , pro alio ream constituit , ut si cum Titius pecuniam mutuam esset accepturus , interposita sit mulier , quæ acciperet Titio datura l. quamvis 8. §. si cum esset. 14. ff. b. t. l. 4. l. 19. l. 2. C. eod.

## V I I.

Ex his ergo præmissis liquidd liquet , quod possint mutuum aliosque contractus celebrare , quibus se obligant sine susceptione alterius obligationis ; possunt ergo pro alio solvere l. 4. C. b. t. l. 1. C. eod. aut quamlibet rem in solutum dare l. 5. ff. b. t. licet solvendo pro alio majus periculum rei familiaris subesse videatur , quam intercedendo , & ubi majus periculum est ibi magis subveniendum esse equum fit. l. 1. §. 5. ff. de Carbonian. editio. Verum enim vero facile mulier quibusvis illecebribus , dum non sentit rei familiaris periculum , ad intercedendum induci potest , cui facilitati senatus consuluit , difficilis vero mulier ad solvendum , cum statim sese damnum passuram sentit. testis est Ulpianus in l. 4. §. 1. ff. b. t. Possunt etiam

INAUGURALIS.

etiam donare; sed cum illud genus hominum donare non solet  
 leat l. 33. §. 1. in fin. ff. de donat. inter V. & V. & id ipsum contra  
 earum naturam sit d. l. 33. §. 1. in fin. de donat. inter V. & V.  
 facilius ad obligandum quam alienandum induci posse videntur  
 l. 4. §. 1. ff. h. t. etiam suo debitori mulier pignus potest  
 remittere neque enim sic intercedit l. 8. ff. h. t. quin & uxor  
 maritum debitorem suum liberat recte à pignore, etiam stan-  
 te matrimonio l. 11. C. h. t. licet donare marito non possit;  
 l. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor.

V I I I.

Secundo requiritur ut mulier sine fraude intercedat: frau-  
 dulenter intercedit mulier tantum unico casu, scilicet quando  
 ipsa dissimulat suam intercessionem & creditor ignorat l. 11.  
 l. 30. l. 27. ff. h. t. alias sive ipsa ignoret & creditor seit, l. 12.  
 h. t. sive ambo ignorent ut in l. 17 ff. h. t. sive ambo sciant  
 subvenitur mulieri arg. d. l. 12. & ideo quidem mulieri hoc  
 ultimo casu succurritur: quia non videtur deceptus qui scivit  
 l. 1. §. 1. in fin. ff. de Alt. empt. Ratio autem hujus requisiti in  
 eo posita est, quod mulierum infirmitati non calliditati suc-  
 curritur l. 5. in fin. C. h. t. & ταῦτα ἀπαρτίσαι γινωσκεῖν τὸ δόγμα  
 τῆς συγκλήτου θεολογίας & βοηθεῖ, id est; Decipientibus mulieribus Sena-  
 tus consultum auxilio non est. l. 2. §. 3. l. 30. l. 23. ff. h. t. l. 5. C.  
 h. t. Wissenbach. thes. ult. disp. 30. p. 1. cuiusmodi imposturis  
 haud impar esse mulierum genus ex ipso patet mulieris dicto.

Κακῶν ἢ πάντων τέλεσες σοφώτα.

Περύμαρτυρ.

*Malorum quidem omnium nata sumus artifices*

*Callidissime.*

Multa hic adferre exempla difficile minime foret: sed unum  
 ex Mornacio collectum sufficiat. Matrona quædam Parisien-  
 sis marito peregre agente, filiam matrimonio elocaverat, &  
 illico dotis viginti millium coronatorum promiserat; Scriptis  
 interea literis ad maritum, ne ratum haberet quod ipsa ejus  
 uxor gesisset. Hoc casu ergo (sc. si dolose intercedat) mü-

## 12 DISPUTATIO JURIDICA

lier si beneficio hujus SCti uti velit, replicatione doli removetur. l. 6. in fin. l. 23. ff. b. tit. & l. 18. C. eod.

## I X.

Tertium requisitum est, ut creditor *sciat* mulierem pro alio intercedere: quia, excepto casu in lib. 8. ignorantis creditori exceptio SCti Vellejani non obstat l. 4. l. 11. l. 12. l. 19. §. 5. ff. b. t. & si ab initio cum muliere contraxerit, ac ignoraverit intercessionem subesse, cessabit SCtum: alioquin nemo cum feminis contracturus esset: quia ignorari potest quid acturæ sint. l. 11. D. b. t.

## X.

Quarto requiritur, ut mulier per intercessionem *damnum*, aut *incommode*m sentiat: nam si mulier contra SCtum prome intercesserit Titio, egoque mulieri id solverim, & ab ea Titius eam pecuniam petat, exceptio SCti non est profutura mulieri l. 16. ff. b. t. & l. 24. eod. quod etiam Frisiae Curiae placuit Anno 1606. 20. Decemb. in causa *Jelle Syoerts Wedewe* cum socia appellante *Wybe Ulbes geappelleerde*. Tertius est *Job. à Sande decif. Fris. lib. 3. tit. 11. defin. 1.* Ratio est: quia Senatus-consultum voluit lapsis laesisque auxilium ferre, quo non egent si non laedantur.

## X I.

Videamus jam subjectum hujus SCti, seu quibus competit hujus SCti Beneficium l. 24. §. 2. ff. b. t. auxilium. l. 2. C. eod. Auctoritas l. 23. §. 1. C. eod. vel exceptio l. 7. §. 1. ff. de exceptione. & primo quidem competit mulieribus l. 1. pr. l. 2. §. 1. l. 23. §. fin. & t. t. ff. & C. ad SCtum Vellejanum. (licet auctoritate & consensu patrum intercesserint. Zoëf. b. t. n. 5. Trutl. select. disp. vol. 1. disput. 24. thes. 3. lit. a. Costal. in l. 1. ff. b. t. Pérez. hic. n. 10. Consensus enim paternus non removet mulie-

mulieris fragilitatem : et si aliud sit in *SCto Macedoniano*, in quo non agitur de fragilitate filiis. sed periculo quod patrem manet, ideo cessat, si ejus consensu filius mutuo pecuniam acceperit *l. 16. ff. ad SCtum Macedonianum*) mulierum appellatione hoc loco comprehenduntur quæcunque fexus fæmini sunt seu maritatae, seu viduae, seu veræ uxores, seu putativae, seu virgines, seu corruptae, cum prædictæ leges generaliter loquantur. Excipiuntur tamen illustres fæminæ, quæ aliquam Majestatem vel Regalia habent: uti Reginæ, Ducissæ, Comitissæ, teste *Hering. de Fidejuss. c. 7. n. 517. & seqq.* & cum illæ maximis virilibus officiis fungantur, & non privato tantum patrimonio: sed & Regni saluti consulere intelligentur, non temere D. D. nonnulli volunt rationem SCti haud pati, ut illarum intercessio irrita sit. *Secundo*: Hæredibus mulierum *l. 7. 14. 20. C. b. t.* hæredes enim ejusdem potestatis & juris esse, cuius fuit defunctus, constat ex *l. 59. ff. de Reg. Jur.* & quia hæc exceptio quoque videtur rei cohædere *l. 7. §. 1. ff. de except.* Non tamen utentur hæredes hujus SCti beneficio, si testamento mandaverit iis mulier ut debitum solvant, quia hoc casu videtur esse fideicommissum, quod est donatio quædam. Hæredes enim onerantur invidiâ & conscientiâ qui spernunt voluntatem ultimam *l. 5. C. de religios. & sumpt. fun. ubi Mornacius. l. 1. C. de S. S. eccl.* hoc modo etiam in Frisia judicatum refert *Job. a Sande dec. fris. lib. 3. tit. 11. definit. 7.* *Tertio*: Fidejussoribus mulieris intercedentis *l. 16. §. 1. l. 19. fin ff. & l. 14. & seqq. C. b. t. l. 7. §. 1. ff. de except.* etiam non rogatis, totam namque obligationem lex improbat *l. 16. §. 1. D. b. t.* unde denique. *Quarto*: competit procuratoribus earum *l. 30. §. 1. ff. b. t.* ne intercedat actio mandati, & ei, qui pro iis intercedentibus pignus dedit. *l. 2. ff. quæ respign.*

## X I I.

Opportunè hic posset quæriri. An si mulier & mas simul intercesserint, mari pro futura sit exceptio? Nos pro negativa opinione concludimus, & cum *Papiniano* statuimus, quod

## 14 DISPUTATIO JURIDICA

subductâ personâ mulieris contra marem in solidum detur actio, nec habeat beneficium divisionis, cum is non ignoraverit vel ignorare non debuerit mulierem frustra intercedere *l. 48. ff. de Fidejus. & l. 19. D. de R. F.* eandem sententiam sequuti sunt *Cujac. 10. obser. 23. Zoes. hic n. 7. Wissenb. p. 1. disp. 30. ad ff. thes. 15. Perez. n. 11. Sande decis. Fris. lib. 3. tit. 10. defin. 2.* Quamvis aliis cum minore intercedens, personâ minoris per restitutionem in integrum subductâ, non nisi pro parte teneatur. Cujus rei ratio manifesta est, quod ætatem facile ignorare potuit, sexum ita non potuit. Et quamvis forte minorem esse sciverit, incertum tamen fuit auxilium restitutionis, quod nec passim, nec temerè datur, sed causa cognita *l. 7. §. 8. l. 24. §. ult. ff. de minoribus.*

### X I I I.

Opponitur hoc SCtum creditorî, ejusque hæredibus *l. 7. §. 1. ff. de except.* cui intercedendo scemina vel alias hujus nomine se obligavit *l. 2. ff. b. t.* dummodo creditor (secundum ea, quæ antea dicta sunt) eam intercedere non ignoret, datur etiam contra omnes, ad quos res ex intercessione pervenient *l. ult. §. 1. ff. b. t.*

### X I V.

Effectus primus est, quo ex SCto mulieri detur exceptio, quæ est perpetua & etiam post sententiam rectè opponitur *l. 11. ff. ad SCtum Macedonianum* qua se tueri potest, & quidem in quam plurimis casibus. Vide *Mejer. in C. I. A. b. t. th. 4.* Sed secundum veterem procedendi morem, si liquido de intercessione constaret prætor statim actionem denegabat. *l. 2. §. 1. ff. b. t.* in verb. *ne in eas aetio detur.*

### X V.

Secundus effectus hujus SCti est, quod si mulier vel errore

re juris, vel facti solverit, possit illud repetere condicione indebiti l. 8. §. 3. l. 24. §. 2. ff. b. t. & l. 9. C. eod. & l. 40. ff. de condic. indeb. Secus est in Senatusconsulto Macedoniano d. l. 40. quia illa exceptio est in odium ejus, cui debetur. Præterea datur quoque petitio, sive actio in rem, vindicatio nimirum rei, per intercessionem seu pro alio pignori datae, a quovis possessore l. 32. §. 1. & 2. ff. b. t. *Hortensius*. Si tamen mulier obligationem, vel alienationem hisce remedii irritam reddere nolit; sed potius actione mandati, contra debitorem pro quo intercessit, velit agere, poterit l. 31. ff. b. t.

## X V I.

Tertius effectus est, quod, licet mulieri per SCtum succurratur, pristina tamen actio in debitorem principalem, cuius obligationi mulier accessit l. 1. §. fin. l. 24. §. ult. ff. b. t. & veteris debitoris fidejussores l. 14. & l. ult. §. fin. ff. b. t. detur. Vel si per novationem obligatio in mulierem translata sit, Prætor, rescissa illa intercessione, & subducta quasi personâ mulieris, pro ut loquitur *Gordianus* in l. 8. C. b. t. pristinam actionem creditori in debitorem restituat; quæ inde restitutoria, rescissoria & utilis dicitur in l. 8. §. 7. 9. 10. 13. & l. 24. §. 2. juncta l. 13. §. ult. l. 16. in fin. l. ult. ff. b. t. l. 16. C. eod. Si vero novam obligationem (de quâ superius dictum) in se mulier receperit; in ipsum, cuius causa fœmina contraxit, datur actio utilis, adeoque hic obligatio contra istum magis instituitur, quam quidem restituitur, & obligatur eodem genere obligationis, quo mulier fuit obligata. Verbi grat. si per stipulationem mulier, & ille quasi ex stipulatu convenietur l. 8. §. pen. ff. b. t. & l. 10. ff. eod. modo tamen conditio personæ pro qua nova obligatio suscepta est, non obstat, qualem casum habemus in l. 8. in fin. ff. b. t. de nomine autem hujus actionis egregie agit *Cujacius lib. 16. o. 27.*

## 16 DISPUTATIO JURIDICA

## XVII.

Summam manum huic disputationi cum sit animus, impone, restat ut videamus casus, in quibus cesset hoc SCtum, qui plures in jure constituuntur, & in quibus mulier recte & validè se pro alio obligat, ita ut ex sua intercessione non tantum in foro soli, seu seculari; sed etiam in foro poli, seu conscientiae teneatur. Quorum præcipui hisce versiculis continentur.

*Casibus in denis mulier spondendo tenetur  
Pro libertate, & pro dote, renuntiet, & si  
Decipiat, precium capiat, caveatque secundo  
Debenti si succedit, si debita capic,  
Sin minor est credens, si commoda propria gessit.*

Sed cum singuli non-nulla egeant explicatione, nec etiam in bonum satis ordinem redacti sint, non male nos acturos putamus, si ad tres classes eos redegerimus: ita ut: *primo*: cesset propter privilegium & qualitatem creditoris: *secundo*: propter qualitatem ipsius causæ pro qua & in qua mulier intercedit: & denique *tertio*: propter factum mulieris. Ex prima classe denegatur mulieri exceptio SCti Vellejani: si apud minorem creditorem pro ejus debitore qui non est solvendo intercesserit *l. 12. ff. de minoribus 25. ann.*, ratio est in *l. 32. pr. ff. b. t.*

## XVIII.

Ex secunda classe cessat hoc SCtum si fæmina major 25 annis pro alia qualibet muliere, quæ licet matrimonium contrahere potest, dotem pollicita sit: tunc enim confessionem omnino adimplere cogitur *l. 41. ff. de jure dotum l. ult. C. b. t.* vide *Cyprian. Regn. ab Oosterga*, nec non *Wissenb. ad eand. l. Ant. Hering. de fidejuss. cap. 7. n. 452.* Cessat etiam si res suas obliget dotis constituendæ gratia *l. 12. C. b. t.* Ratio hujus exceptionis est favor dotis *d. l. ult. C. b. t.* cuius causa semper &

& ubique præcipua est, cum publicè intersit dotes mulieribus servari *l. 1. ff. solut. matrim.*, Unde illud hic addo, quod ambignum putes, an maritus uxorem ob non solutam dotem domo exigere possit? Negatur posse: *l. 11. § 1. C. de repud.* *Nov. 22. c. 18.* non obstante *d. l. ult. C. b. t. Fach. 3. controv.* *48. Bronch. 2. misc. 1.* Si vero pro filiâ dotem promiserit, aliâ ratione cessat SCtum, quia scilicet suum negocium intuitu-pietatis gessisse creditur *d. l. 12. C. b. t. l. 14. C. de jur. dot.* et si de necessitate plerumque filiam mater dotare non teneatur *d. l. 14. C. de jur. dot.* Cessat etiam: si fidejubeat, vel expromis-for existat apud dominum pro pretio libertatis servo collatæ *l. veterem 24. C. b. t.* cuius causâ multa contra juris rigorem constituta sunt. *l. 24. §. 10. ff. de fideicommis. libert.* *§. ult. inst. de donat.* Cessat denique si pro alia quadam pia, causâ intercesserit, uti pro studiis, alimentis, aut pro incarcerated seu incarcerated: *Captivorum namque & carceratorum causa piissima dicitur.* *l. 36. C. de donat. Anton. Fab. in l. 4. t. 21. def. 16. n. 1. 2. & 3.*

## XIX.

Ex tertia classe cessat hoc SCtum si callidè & dolosè intercesserint, & creditorem deceperint, negotium suum esse mentita, *l. 4. l. 11. l. 30. ff. b. t. l. 18. C. eod.* de quo supra. Cessat si ex intercessione non fiat pauperior *l. 21. ff. b. t.* vel si mulier pro sua fidejussione pretium, aut rem pretio æstimabilem acceperit *l. 23. C. b. t.* Sed quale & quantum illud pretium esse debeat, quod mulierem accipere oportet, ad hoc, ut beneficio Vellejani privetur, controvertitur. Donello modicum etiam pretium sufficit, et si pro magna quantitate illa intercesserit. *12. com. 32.* Sed cum hoc nulla lege definitum sit, iudicis arbitrio relinquendum puto arg. *l. 1. §. ult. ff. de jure delib.* & *l. 135. §. 2. ff. de V. O. Johan. Frid. Boëckelmann. in comm. in digest. ad b. t. §. 11.* Pretium autem acceptum esse, creditori solenni scriptura vel alias luculenter, probandum est. *l. 23. C. ad SCtum Vellejan.* Cessat si mulier sibi ipsi contrahat, ve-

## 18 DISPUTATIO JURIDICA

Iuti si ab hærede hæreditatem emat, vel æs alienum hæreditarium in se suscipiat, vel pro suo fidejussore intercedat *l. 13. pr. ff. b. t.* vel pecuniam tanquam in usus suos mutuam accipiat à creditore, ignorantे quod eam velit alteri tradere, & si quo alio casu mulier non decipitur, sed colore quæsito, ex proposito libenter decipere vellet, ideo SCti beneficio deſtituitur *l. 11. ff. l. 10. C. b. t.* Cessat si mulier perfectæ ætatis, hoc est major 25. annis post primam intercessionem, elapso biennio, se rursus obſtringat: ſive cavendo, ſive pignus, live fidejusſorem dando. Ratio hujus exceptionis est, tum, quod mulier contra iteratum actum nil poſſit opponere, preſertim quando eſt ex intervallo repetitus *Mascard. de probat. l. 3. conclus. 1264.* tum quod ex prolixitate temporis non alienam ſed ſuam cauſam agere videtur *l. 22. C. b. t. vid. Cyprian. & Wesenb. ad d. l.* & ſatis lepidè ait *Publius in A. Gell. noct. Attic. l. 17. c. 14.*

*Improbè*

*Neptunum accusat, qui ierum naufragium facit.*

Pro marito tamen nec iterato interceſſio valet *n. 134. c. 8. & auth. ſi qua mulier C. b. t. Scotan. diſp. 34. theſ. 15. Anton. Faber. b. t. d. 16. 17.* magis itaque pro marito, quam pro aliis mulieri fidejubere vetitum eſt, quia majus eſt periculum ne à viris suis uxores impellantur ad temerariam fidejussionem: exceptio eſt, niſi, ut dixi, pro marito incarceratedo, ut eum liberet, fidejuſſerit *arg. l. pen. C. b. t. Fab. C. b. tit. n. 8.* Cessat & hoc beneficium, ſi mulier donat, licet ab alio mutuum acceperit ut donaret, vel ſi pro alio ſolvat ſine interceſſione *l. 4. §. 1. l. 5. ff. b. tit.* de quo ſupra. Ratio hujus exceptionis eſt quod ſenatus obligatæ mulieri ſuccurrere voluit non donanti *d. l. 4. §. 1.* Cessat denique ſi renuntiet ſenatus conſulto Vellejanō *l. 32. §. 4. & 31. ff. b. t. & arg. l. 21. C. eod. l. fin. & auth. matri & avia C. quand. mul. tui. off. fung. poſſ. Nov. 118 C. 5. Nov. 94. c. 2.* Sed haec exceptio variis opinionum fluctibus agitata ſuit; nam alii nec exiguae auctoritatis viri ajunt eam non niſi in quinque caſibus habere effectum. Primo: nempe ſi ſiat renuntiatio ex legis neceſſitate in caſu, ſi mater vel avia liberorum tutelam ſuscipere velint, ad quam non admittuntur niſi

## INAUGURALIS. 19

primò renuntiaverint SCto Vellejano *Auct. matri & avia & l.*  
*ult. C. quando mulier tut. off. fung. poss. d. nov. 94. c. 2. in med.*  
*nov. 118. c. 5.* Secundo : si jurato renuntiet Jason. in auth.  
*Sacramento puberum num. 53. C. si advers. vend.* Tertio : si  
mulier post biennium ex quo intercessit SCto renuntiet l. 22.  
*C. b. t.* Quarto : si instrumentum sit publicum, nec non tri-  
no teste confirmatum l. 23. §. 2. *C. b. t.* Quinto & ultimo si  
mulier pro eo, pro quo intercessit judicium parata sit acci-  
pere, ne in veterem debitorem actio detur ; sed primo tamen  
debet cavere se exceptione SCti non usuram *d. l. ult. §. pen.*  
*ff. b. t.* ne creditor decipiatur & judicium elusorium reddatur.  
*Hugo Donell. comment. jur. civ. l. 12. cap. 32. vers. altera causa.*  
Alii nequidem jura tam (de jure civili scilicet) admittunt re-  
nuntiationem *Math. Berlich. pract. conclus. part. 2. conclus. 19.*  
*num. 23. Bart. in auth. si qua mulier. n. ult. C. ad SCtum Vellejan.*  
nam de jure canonico (cui in materia juramenti indubitanter  
standum est) omnes convenient mulierem exceptione SCti  
Vellejani non adjuvari si mediante juramento ei renuntiet. per  
text. in c. ex rescripto ext. de jurejurando. Alii distingunt num  
in eodem instrumento quo mulier se obligat pro alio renun-  
tiet SCto Vellejano, & non nocet renuntiatio ; num ex inter-  
vallo temporis post obligationem, & valet *Dec. & Alciatus ad*  
*l. pen. C. de pactis.* Alii distingunt inter judiciale & extrajudi-  
ciale renuntiationem, ita quidem ut solam judiciale tan-  
quam validam admittant. *arg. l. ult. §. pen. ff. b. t.* Quos sequi-  
tur *Math. Wesenb. ff. ad SCtum Vell. n. 9.* Alii & ipsam judicia-  
lem rejiciunt *Johan. Zanger. de except. part. 3. c. 9. n. 5. &*  
*Wissenb. ff. b. t. n. 16.* qui ad d. §. penult. respondet. Alii, & recte  
mea opinione, contemptis fere omnibus distinctionibus sim-  
pliciter concludunt: quod mulieres SCto Vellejano renunta-  
re possint: *Joh. Frid. Boëkelman. ad ff. b. t. §. 11. Perez. hic*  
*n. 23. Cyprian. thef. 4. disp. ad pand. 25. & ad l. 32. §. 4. Ever-*  
*hard. Bronch. èvar. cent. 2. assert. 40. ut & Fachin. 2. controv. 60.*  
modo certioretur de suo privilegio : quia alias ignorant hoc  
suum beneficium & ignorantibus non nocent renuntiations  
*arg. l. 9. §. 1. ff. de transact. vid. Andr. Gail. l. b. 2. obs. 77. n. 3.*

## 20 DISPUTATIO JURIDICA

& ratio hujus exceptionis est: quia hoc SCtum in favorem mulierum est introductum l. 40. ff. de cond. jud. & nullus debet quin quisque possit favori pro se introducto renuntiare l. 41. ff. de minoribus 25 ann. l. 46. ff. de pact. l. 29. C. eod. sic tamen ut jure Codicis novo non opus sit renuntiatione, si mulieris intercessioni publicum tale instrumentum non sit adhibitum, quale Caesar prescribit in l. 23. §. 2. C. b. t. In supremo Frisiæ senatu judicatum ait Sandius ejus intercessionem in privato instrumento factam, et si renuntiatio accesserit, non valere 3. tit. II. def. 2. & cui igitur bono renuntiatio, si juris formæ repugnet intercessio? Sed Frisorum illud jus in Hollandia observari negat Groenew. ad l. 23. C. b. t.

## XX.

Quid si mulier intercessionem suam jurejurando firmavit? eo casu sive ea juris sui perita sit, sive non, caret auxilio hujus SCti saltem jure Canonico: quia jusjurandum omne, quod non vergit in detrimentum animæ, servandum est sanctè, & etiam cum patrimonii amissione Psal. 15. v. 3. habetque illud vim clausulæ quod actus valeat omni meliore modo quo valere potest. Pegnera decis. 146. n. II.

## XX I.

Cæterum quamvis mulierem pro marito contrahente fidejubere nullo modo posse cautum sit jure Romano Auth. si qua mulier C. b. t. recte tamen excerptis nobis Wassenær in praxi notar. c. 10. n. 17. ex Groenew. ad d. Auth. mulierem hodie tum etiam teneri ex contractu mariti si illa pro eo non fidejusslerit, neque in Hollandia, neque Ultrajecti opus est ea sollicita disputatione quam habet CL. Huberus ff. b. t. An uxor isti Authenticæ cum jurejurando renunciare debeat ibid. n. 20.

## XXII. Co-

## XXII.

Corollarii vice vetus & ardua hic est tractanda quæstio:  
*An mulier (posito primò quod post renuntiationem idonea sit fidejussor) si accipiat in maiorem summam quam debet debitor principalis, teneatur in summam concurrentem?* Nos cum Ulpiano contra plerosque interpres eam omnino non obligari, existimamus. *I. 8. §. 7. & 8. ff. de fidejuss. & mand. §. 5. inst. cod.* Quam etiam sententiam Clarissimus Promotor, (ex quo me multum profecisse haud diffiteor) amplectitur. Ratio: quia ea fidejussio est contra formam juris. *I. 49. in fin. ff. de fid ejusso.*

*Judicio mea charta tuo si displicet, esto.*

*Esto velut nulla pagina scripta manu.*

*Sin que continet, quis delectabere, mecum*

*Utere, non meriti signa favoris erunt.*

## COROLLARIA.

## I.

*Q.* *An duorum fratrum vel sororum liberi primi gradus, cum soli existant, succedant patrio in capita, an vero in stirpes. R. in capita.*

## II.

*Non dantur actiones origine mixtae partium in rem; partim vero in personam, quamvis tales videantur.*

C 3

III. Quæ-

III.

Quærelam inofficios*t* testamenti non esse remedium  
aliquod præparatorium, sed speciem petitionis  
hæreditatis, rectè asseritur.

IV.

Jusjurandum judiciale sive à jude*c*e delatum ob instrumenta noviter reperta retractari potest.

V.

Perfecta emptione, quod fit simul atque de merce &  
pretio convenit, periculum rei venditæ statim ad  
emptorem pertinet.

VI.

Si dolus det causam contractui bonæ fidei, contrac-  
tus est ipso jure nullus.



*Eruditissimo Præstantissimoque*  
**D. D. LUCAE WALCKIER,**  
*cum in illustri Academia Ultrajectina*  
*Doctorali Laurea*  
**MORE MAJORUM**  
*insigniretur.*

 *Empora prima suæ studiis sacrasse juventæ,  
A teneris doctas & coluisse Deas;  
Egregiam laudem , petere & memorabile  
nomen*  
Non est exiguæ nobilitatis opus.  
Degeneres animos , & veræ nescia laudis  
Pectora , cælestis non subit ille calor.  
Sunt quos marmoreis fulgentia tecta columnis ,  
Aëreasque domos ædificare juvat;  
Sunt qui divitiis decus immortale caducis  
Adscribunt , auri quos alit ægra famæ;  
Invenies alios , quibus est placuisse voluptas  
Magna viris , vexat quos & honoris apex.  
Non hoc , TE , latuit , fautor generose Minervæ ,  
Qui non ut vulgus tempora fallis iners.  
Grata sed ante alias Virgo est Astrea camenas ,  
Scrutari & placuit jura benigna tibi.  
Despicis insani studium non utile vulgi ,  
Et posita ante oculos cum ratione fugis.  
Scilicet absunit tenebris ingrata vetustas  
Cætera , perpetuò nec sinit esse , bona.  
Felices nimium ! WALCKIER quibus uritur , ignes ,  
Felices ! Sanctus quos ita tangit amor.

Feli-

Felicem, te, jure reor, quem censuſ honorum  
Et remanent muſæ nobilioris opes.  
Inſinuas doctis mentem Geniumque tabellis,  
Et ſuper extollis nobile plebe caput.  
Quæ tacitiſ animi virtus ſeſe abdiſit umbris  
Virtus jam roſea luce ſerena nitet.  
Rara fides, animi candor, moresque probati,  
Mente ſub Aoniam confociata micant.  
Virtutis laudisque tuæ decurrere campum  
Finibus anguſtis pagina parva vetat.  
Publica commendant doctrinæ encomia dotes,  
Ingenii & celebrat munera quifque tui.  
Sublimem ingenii quifquis miratur honorem  
Plaudentique refert talia verba ſono:  
Hic dignus ſacrâ redimat quem fronde Minerva,  
Doctorem & meritò pulpita clara creent.  
Gratulor en palmæ, prästantis & omnia fortis  
Gratulor ingenium non latuifle tuum.  
Florida florentem decorant nunc ferta juventam  
Et donat titulos dux Themis æqua tibi.  
Sed reſtant majora tuis (ſic auguror) auiſis  
Ingenio & meritis læta trophæa tuis.  
Virtutique tuæ, fi non mens læva Poëtæ,  
Spondet honoratum poſtuma fama decus.

*Amico ſuo integerrimo*

gratulabundus cecinit

MATTHÆUS STILTE.

JUR. STUD.

Felicem, te, jure reor, quem census honorum  
Et remanent musæ nobilioris opes.  
Insinuas doctis mentem Geniumque tabellis,  
Et super extollis nobile plebe caput.  
Quæ tacitis animi virtus sese abdidit umbris  
Virtus jam roseâ luce serena nitet.  
Rara fides, animi candor, moresque probati,  
Mente sub Aoniâ consociata micant.  
Virtutis laudisque tuæ decurrere campum  
Finibus angustis pagina parva vetat.  
Publica commendant doctrinæ encomia dotes,  
Ingenii & celebrat munera quisque tui.  
Sublimem ingenii quisquis miratur honorem  
Plaudentique refert talia verba sono:  
Hic dignus sacrâ redimat quem fronde Minerva,  
Doctorem & meritò pulpita clara creent.  
Gratulor en palmæ, præstantis & omina fortis  
Gratulor ingenium non latuisse tuum.  
Florida florentem decorant nunc ferta juventam  
Et donat titulos dux Themis æqua tibi.  
Sed restant majora tuis (sic auguror) ausis  
Ingenio & meritis læta trophæa tuis.  
Virtutique tuæ, si non mens læva Poëtæ,  
Spondet honoratum postuma fama decus.

*Amico suo integerrimo*

gratulabundus cecinit

MATTHÆUS STILTE.

JUR. STUD.